



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. clvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



bricus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si, quis violenter ex ea repelleretur, ac traheretur foras. Ad quas nimirum voces currebant custodes, & viderunt duos quosdam teretrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem ac nimium vociferantem foras traherant. Qui videlicet territi, ad sua strata reuersi sunt. Mane autem facto, aperuerunt sepulchrum in quo idem Valentinus positus erat, eiusque corpus non inuenerunt. Quumque extra Ecclesiam quærerent ubi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus sicut de Ecclesia fuit abstractum. Ex qua re Petre collige, quia hi quos peccata grauia depri-  
munt, si in sacro loco sepelire se faciant, restat ut etiã de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

*De eadem re. Cap. CLVI.*

**N**Am quid quoque in hac vrbe contigerit, cunctorum qui hic habitant multitudo testatur: quod quidam artis eorum primus quum defunctus fuisset, iuxta Ecclesiam beati Ianuarij martyris iuxta portã sancti Laurentij à coniuge sua sepultus est. Sequenti autem nocte ex sepultura eadem, audiente custode, eius spiritus cœpit clamare: Ardeo, ardeo. Quum verò has diu voces emitteret, custos hoc eius nunciauit vxori. Vxor verò illius eos qui diligenter inspicere eiusdem artis viros transmisit ad Ecclesiam, volens cognoscere, qualiter corpus eius esset in sepulchro de quo talia clamaret. Qui aperientes sepulchrũ, vestimenta quoque intacta repererunt, quæ nunc vsque in eadem Ecclesia, pro eiusdem causæ testimonio seruatur, corpus verò illius omnino non inuenerunt, ac si in eodem sepulchro positum nõ fuisset. Ex qua re colligendum est, quia vltione anima eius damnata sit, cuius & caro est ab Ecclesia proiecta. Quid igitur sacra loca sepultis profunt, quando hi qui indigni sunt ab eisdem sacris locis diuinitus proiciuntur?

*Ut corpora defunctorum in Ecclesia non sepeliantur.*

*Caput CLVII.*

**I**tem placuit ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sepeliantur, sed si necesse est de foris circa mu-

*Itē Gre.*

*Ex cõcil.*

*Brugga.*

*cap. 4.*